

Aufbett.

tus. Si animalia erant in medio sedis, quomodo in circuitu; & si in circuitu; quomodo in medio? Hæc quatuor animalia denotant Doctores, ac prælatos Ecclesiæ, qui ob suam multam vigilantiam dicuntur animalia plena oculis ante, & retro. Erant autem in medio sedis, & in circuitu, quia bonus pastor non debet esse contentus vno loco, sed multiplicem sibi comparare, vt simul cura, sollicitudine, ac prouidentia, sit in medio suæ sedis, Ecclesiæ, ac diocesis, vt supra gregem suum inuigilet, & etiam sit in circuitu, vt suas oues custodiat, easque ab iniquarum fetarum tuatur incurfu. D. Ambrosius, ad citatum locum Apocalyp. Hoc, ait, secundum historiam stare non potest neque tam paruum numerus, & ambitum sedis, & medium abinere poterat, sed spiritualiter intelligendum est. Respondet S. Doctor. In circuitu sedis quatuor animalia stant, quia Doctores Ecclesiæ populis sibi commissum, & a visibilibus, & ab invisibilibus hostibus quanta virtute possunt, defendunt. In medio sedis consistunt, quia vnumquemque eorum, vt in virtutibus, omnibusque bonis operibus proficiant, admonere non desunt.

Bonus pastor sit presens in tota sua die. Ambros.

106.

Cum Israëlitarum prope essent terram promissionis mandat Deus Moyfi. Miste viros, qui considerent terram Chanaan, singulos de singulis tribus ex principibus. Num. 13. num. 3. Quæstio est inter expositores, an diuinum mandatum de principibus exponendum sit, de aliquibus viris illustribus, an de primis, & summis, quorum quilibet toti suæ tribui præerat. Abulensis constanter tenet, quod Dei iussio non de tribuum rectoribus, sed congruentius de aliquibus viris nobilibus, ac ingenio esset interpretanda; sed qua ratione, quove fundamento huiusmodi interpretatio facienda, ex quove principio diuina mens colligenda, Cum Deus dicat singulos de singulis tribubus ex principibus? Valde apertum est in tota scripturarum serie, quantum Deus intendat, vt illi, qui reipublicæ clauum tenent, ei assistant, ab illaque non separentur; Indèque diuinum mandatum non de tribuum gubernatoribus, sed de aliis præclatis viris intelligendum erat, vt ait Abulens. Sic enim Deus vult vt rector, ac administrator populo suo sit præsens, ab eoque minimè distet, vt etiam ad explorandam aduersariorum terram ad præstandumque suis tutum accessum, nolit, vt à suis discedat, ab illisque absens fiat; clauum tenentes manent cum populo, alij verò ad inuestigationem destinantur. Abulens. citato num. loco q. 13. Quia non erat verisimile, ait, quod duodecim principes tribuum, qui erant maximi, & nobilissimi in toto populo mitterentur exploratores, quia isti necessarii erant in castris, ad bonum regimen, & statum tribuum suarum, ideo non mittuntur, sed satis erat mitti aliquos alios, & missi sunt aliqui de principibus familiarum, vel domorum.

Num. 13.

Abulens.

107.

Cum Ioseph teneretur à fratribus suis, missus est in cisternam veterem sine aqua, cum autem Ruben recederet ab illo loco ad pascua querenda, vt ait Iosephus, prætereuntibus Madiantibus, Iudas cum suis fratribus vendidit Ioseph in Ægyptum. Reuersusque Ruben ad cisternam non inuenit puerum. Genes. 37. num. 29. Quid est quod cum Ruben abest, statim tantum nefas perpetratur à fratribus, vt Ioseph vendant, ipseque iam non inueniatur? Ruben cum esset primogenitus, ac senior vices prælati inter fratres suos gerebat, cum autem superior à suis abest intendens propria pascua, ac commoda, statim à suis venditur, ac recedit Io-

Genes. 37. x absentia relati mala te bdit.

seph, hoc est scientia, ac directio diuinæ legis, statimque omni turpissimo secleri se se subditi committunt. Cardinalis Hugo. Mali pastores, ait, qui male viuunt, & male docent, recedunt à cisterna, a corde suo ad temporalia, quibus dicit Dominus per Isaiam 46. redite prauaricatores ad cor, in horum absentia tollitur puer, idest scientia verbi Dei, dum nimis ad temporalia intenditur. Vide supra in hoc cap. quæst. 3. num. 24. 25. & 26.

Hugo.

Isai. 46.

Ioan. 10. n. 15. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis.

Num. 16. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.

VERSIONES.

Syriac. n. 15. Sicut nouit me Pater meus, & ego agnosco Patrem meum.

Theophylact. Ita ego noui Patrem. Arabicus. Et animam meam do pro ouibus.

Arabic. n. 16. Et mihi sunt oues alix, quæ non sunt de hoc ouili.

Arias. Quæ non sunt ex hac caula.

Caietanus. Quæ non sunt ex hoc stabulo.

S. Leo. ser. 14. Erit vnus grex, & vnus pastor.

Syriacus. Fietque grex vnus omnium, vnusque pastor.

EXPOSITIO VIII.

SCIENTIA nouit me Pater. Hæc tota sententia, ac comparatio, vt notat D. Cyril. procedit ex antecedentibus. Cognosco oues meas, & agnosco me mea: sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem. Sicut enim Pater diuina, ac æterna cognitione amoris plena cognoscit me filium suum; & ego etiam filius eius, quæ Deus diuina, ac æterna cognitione charitatis plena agnosco Patrem: & qua homo ex tempore nosco Patrem, scientia beata, infusa, & acquisita; sic etiam ego quæ Deus cognitione diuina, & æterna charitate affluente, cognosco oues meas, & quæ homo illa triplici scientia, beata, infusa, & acquisita. Sic etiam proportione seruata oues meæ messum dilectissimum Pastorem agnoscent; In terris cognitione obscura per fidem; in cælis clarissima, & euidente. Pro quo nota; quod illa dictio, sicut, non denotat hic æqualitatem, sed similitudinem proportionis, vt etiam multoties significat, vt obseruauit Toletus, Maldonatus, Lucas Burg. & alij. Matth. 7. num. 48. Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Ioan. 7. num. 22.

180.

Cyriillus.

Tolet. Maldonat. Luc Burg. Matth. 7. Ioan. 7. num. 22.

QUESTIO XV.

Quomodo dicat Christus, quod ex Iudæis, & gentibus fiet vnum ouile, eique erit vnus Pastor?

num. 22. Vt sint vnus, sicut nos vnus sumus. Nam amor, quo Pater, & Filius vt Deus vicissim se diligunt, est infinitus, & increatus. Amor verò, quo filius vt homo diligit suos fideles, & simul ab eis diligitur, est finitus, & creatus.

109. Et animam meam pono pro ouibus meis. Ostendit Christus cognitionem suam esse perfectissimam cum vero vehementissimo amore; ex eo enim, quod Patrem cognoscat, & à patre cognoscat, infert Dominus se animam ponere pro suis ouibus. Alcuin. Ac si patenter dicat, ait, in hoc constat, quia & cognosco Patrem, & agnoscor à Patre; quia animam meam pono pro ouibus meis, idest, ea charitate, qua pro ouibus morior, quantum Patrem diligam, ostendo. Rem sic explicat D. Thomas, ac si diceret Christus, sicut Pater agnoscit me, & omnia quæ in me sunt, sic & ego agnosco Patrem, & omnia, quæ in eo sunt, ac proinde eius voluntatem, vt moriar pro hominibus; idcirco ego pono animam meam, vt Patris decretum adimpleam. Pono hoc est breui ponam, præ amoris vi futuram mortem, vt præsentem reputat. Et cum ait. Pono, vt notat Leontius, ostendit mortem suam pro nostra salute non fuisse coactum, sed voluntariam.

Aluin.

D. Thom.

Leont.

110. Et alias oues habeo: Adsignificat Dominus, quod præter Iudæos aliquos ex gentibus, de quibus ait D. Petrus. 1. Epistol. 2. num. 25. Eratis sicut oues errantes. sibi sit congregaturus. Habeo. Hoc dictum est à Domino per anticipationem ad futurum, hoc est breui habeo. Quoniam sunt ex hoc ouili. Gentiles denotat Dominus, qui cum Deorum cultui inferrent, oues Christi, sed Satanæ erant; Christus autem, ex ouili Satanæ adduxit in ouile suum, hoc est in Ecclesiam suam, prædicatque hinc conuersionem, ac vocationem gentium, indicatque vt ait Rupertus, non indigere Iudæorum fide, etiam si illi pauci credant, plures rebelles permanentes, cum in eorum locum sit adducturus gentes multas, & numerosissimas. Et illas oportet, quamuis Chrylost. & Theophylact. doceant, quod verbum oportet non necessitatem, sed quid futurum esse significare. Aptius tamen dicitur cum Tolero, Maldon. quod oportet, idem, est ac necesse est ex parte quidem Christi, vt Patris decreto, ac officio suo Redemptoris satisfaceret: & etiam omnium ex parte, vt illæ saluæ sint, & non pereant. Me adducere. Non tantum per semetipsum, sed etiam per suos Apostolos, ministros, & legatos vt explicat D. Augustin. Ergo & per suos ipse, ait, & non aliter adducit.

110.

Petrus. 1. 2.

Rupertus.

Chrylost. Theophyl. Beda. Maldonat.

August.

111. August.

Euthym.

Perfectus obediens ad omnia paratus.

ECCLESIAM futuram esse ex duobus populis congregatis Iudaico, & Gentilico vnum ouile, cum vnico supremo Pastore multi Prophetæ prædixerunt. Ieremias cap. 23. num. 3. Ezechiel cap. 34. num. 3. & cap. 37. num. 21. Cum sequentibus; vbi ait Ecce ego assumam filios Israël de medio nationum, &c. Et faciam eos in gentem vnã, &c. Et seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum. Vbi superbum regis nomen; pastoris nomine mitigatur. Quæ verba Theodoretus, Lyranus, Carthusianus, Hugo, Cornelius, & alij præsentibus Domini verbis, quæ nunc explicamus, applicant; cui etiam expositioni consentit D. Hieron. Nam sub nomine Pastoris Dauid, Christum Dominum intelligit, ad quem loquens Propheta citato loco num. 17. in persona Patris, & erunt in vnionem in manu tua; Vnde hæc expositio multo accommodatior est, quam illorum, qui de duobus populis Iuda, & Israël interpretantur, qui in Roboam diuisi sunt, tum quia decem tribus nunquam fuerunt restitutæ, vnde non possunt dici congregatæ in vnum; & esto ita factum concedatur, hoc totum præcessit in figura huius mysterij in Christo, & per Christum perficiendi; vnde subdit Propheta prædicto loco. num. 24. In iudiciis meis, idest præceptis, ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea.

112.

Ierem. 23. Ezechiel. 37.

Theodor. Lyran. Hugo. Cornel. Hilarius.

113. Quomodo vnum ouile

Ad Ephes. 4.

Varabl.

Rom. 10. Galat. 6.

114.

olim homines voluti sine pastore.

Ante Christi Domini aduentum lege, circuncisione, ac multis caeremoniis Iudæi à gentibus, quæ idolorum cultui erant deditæ segregabantur, veniens autem Christus Dominus aboleuit omnia, quæ Iudæorum extabant, tam legis, quam circuncisionis, ac caeremoniarum, & constituit vnum nouum ouile amplissimum in Ecclesia sua Catholica, quæ simul gentes, ac Iudæos recipit, vt testatur Paulus ad Ephes. 2. num. 14. Ipse enim, ait, est pax nostra, qui facit vtraque vnum, medium parietem maceria soluens, & legem mandatorum decretis euacuans: vt duos condat in semetipso in vno nouo homine, interficiens inimicitias. Christus Dominus pax nostra soluit maceriam; seu vt legit Varablus interfecit vnum dissidium, ac contentionis, quæ erat inter Iudæos, ac gentiles, vtpote valde diuersos lege, ac religione, eoque adunauit in vno nomine, lege, cultu, ac caeremoniis, vt iam amplius non sit Iudæus, neque Græcus, circuncisio, neque præputium, sed noua creatura. Rom. 10. num. 12. Ad Galat. 6. num. 15.

Vterque populus Dei protidentia regebatur; nam in populo Iudaico fuerunt multi prophetæ tanquam pastores, & etiam in populo gentilico, in aliquibus fuit vera Dei cognitio, vt patet in Iob, & Sybillis. Tamen si cum statu Evangelico comparentur, ita obscuræ, ac in tenebris degebant, vt sine Pastore esse viderentur, vnde Iudæis sub lege Moyfis viuentibus Deus Christum promittebat tanquam verum, ac singularem pastorem citatis locis Ierem. ac Ezechielis, vt eos regeret, duceret, ac dirigeret in pascua salutis æternæ; quæ tam amplissima in Ecclesia sua præparauit, vt iam non in Iudæa angulis includeretur, sed longe

longe, lateque ad gentes propagarentur, sic promiserat Deus Pater. Parum est ut sis mihi servus ad suscipiendas tribus Jacob, & faces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terra. Isai. 49. num. 6. Dei dona ad omnes se extendunt: pro quo vide plura, verb. Communicare.

Isai. 49.

115.

Quomodo vnus pastor.

Vnus Pastor, sicut enim est vnus ouile, sic & vnus Pastor, vnus, & supremus gubernator Christus Iesus, post cuius Ascensionem vnus est Pastor Petrus, vnus etiam Pastor Petri successor Romanus Pontifex, qui vices Christi gerit in terris, sub quo inferiores militant multi pastores, non toti ouili, vt ille, sed singuli singulis ouilibus presidentes. Quilibet ex his vnus esse debet pastor, vt a se non recedat, nec vita nec sermone discrepet, sed quod verbis dicit, opere impleat, vnus sit Pastor in prosperis, ac aduersis, ac etiam vnus sit cum subditis, vt ab illis nec cibo, nec vestitu diuidatur. Hugo Victorinus lib. 2. Miscell. tit. 130. Vnus pastor, ait, vnus in se, & vnus cum grege. Vnus in se, vt quod dicit verbis, impleat operibus. Vnus vt non mutetur prosperis, vel aduersis. Vnus cum grege, vt a subditis non diuidatur per pretiosorem cibum, vel habitum.

Pater quod verbo dicit opere impleat. Hugo.

116.

August.

Si autem aliquis ex his pastoribus sit improbus, Christum tamen representat; vnde ait Diuus Augustinus tract. 46. in Ioan. Per eos, ait, vox Christi auditur, & sequuntur oues, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium; si ergo aliquis praelatus defectuosus fuerit, cum tamen ratione officij Christum representet, ei tanquam vicem Christi gerenti obtemperandum est. Petrus Damianus opuscul. 13. cap. 20. Nolite, ait, de priorum vestrorum perperam forte videntium meritis disputare: non qua via gradiantur, sed cuius vice fungantur, at eundem, illis in Christo humiliter obedite.

Praelatus improbus audiendus, & obediendus. Damiau.

117.

Exod. 3.

Loquutus olim Deus cum Moysse. Apparuit ei Dominus de medio rubi; Exod. 3. n. 2. Et iterum vocauit eum de medio rubi. Cur Deus ad loquendum cum Moysse elegit rubum aridum, infertundum cum frondibus, ac fructibus vacuum, spinis, & sentibus plenum, & armatum? Cur Deus ad hoc tantum negotium aliam plantam fecundiorum, ac iucundiorum non designat? Hac apparitione incipiebat Deus magnis documentis instruere populum suum; dat voces de rubo, hoc est de sterili, ac spinoso praelato etiam accipiendas, & auscultandas esse. D. Ambros. lib. 1. de Virg. Cur desperandum, ait, quod Dominus loquatur in hominibus, qui locutus est in sentibus? Deus nec rubum est designatus. Et statim subdit. Vtinam meas quoque illuminet spinas. Erunt fortasse, qui etiam in nostris sentib. aliquam mirentur lucere fulgorem, erunt, quos spina nostra non urat, erunt quibus de rubo audita vox nostrum soluat de pedibus calceamentum, vt impedimentis corporalibus exuatur mentis incessus.

Deus etiam per malum pastorem dat voces.

Ambros.

Ioan. 10. n. 17. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.

Num. 18. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem

habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.

VERSIONES.

Syriacus. 17. Propterea Pater meus diligit me.

Rupertus hic. Et iterum sumo eam.

Syriacus n. 18. Nemo tollet eam a me, sed ego pono eam ex mea voluntate; possum enim eam ponere: possumque rursus eam assumere.

Arabicus. Voluntate mea pono eam: & mihi potestas est ponendi eam,

D. Hilarius. Potestatem habeo iterum accipiendi eam.

Pagninus. Hoc mandatum recepi a Patre meo.

EXPOSITIO IX.



ROPTEREA me diligit Pater. Declarauit Dominus pro quibus ouibus esset mortuus, ne ob ipsam mortem contemnendum existiment Iudaei; occurrit Christus ostendens hanc mortem sibi esse maxime optatam, & gloriosam, eo quod amore, ac obedientia Patris vltro eam subeat; ideoque a Patre ob tantam obedientiam maxime exaltandus, ac glorificandus sit. Diligit Pater: loquitur Christus vt homo. Et quamuis plura sint motiua, ob qua a Patre summe diligitur; Hec tamen est vna, & non postrema, vt notant D. Cyrill. Leontius, Theophyl.

118.

Cyrrill. Leont. Theophyl.

Ego pono animam meam, id est vitam meam. Vt iterum sumam eam. Ad breue tempus pono, vt tertia die resurgam. D. Cyrillus sic recte explicat. Propterea me diligit Pater, quia non solum pro ouibus meis pono animam meam, sed etiam quia iterum resurgendo sumo eam, sicque non solum morte mea oues a morte libero, sed etiam, quia resurgendo viuifico. Albertus Magnus. Resurgens, ait, sumam eam ad opus glorificationis meorum: sicut prius per animam operatus sum opus Redemptionis. Rom. 4. num. 25. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Albertus.

Rom. 4.

Nemo tollet eam a me. Explicat Dominus, & confirmat id, quod superius dixerat. Ego pono animam meam. Et ait: Nemo tollit vi, ac me inuito vitam meam a me, vt explicat Euthym.

119.

Euthym.

Seu vt legit Arabicus. Luntate mea pono. Vnde subdit: potestatem habeo ponendi eam, voluntaria, & libera morte. Et potestatem habeo iterum sumendi eam. Per gloriosam resurrectionem, quam per vim diuinitatis hypostaticè meae humanitati coniunctè mirabiliter ego faciam. Vnde vt rectè notauit D. Cyrillus, his verbis Christus Dominus se Deum, ac hominem demonstrat, si quidem vt homo ponit animam, vt Deus resurgendo illam reassumit. Hoc mandatum

Cyrrill.

tum accepi a Patre meo. Reddit Christus causam cur se morti offerat, quia mandatum seu praeceptum habuit a Patre moriendi pro nostra salute. Ioan. 14. num. 31. Sicut mandatum dedi mihi Pater sic facio. Ioan. 15. num. 10. Ego Patris qui praecepta seruaui. Ad Philip. 2. factus obediens, Patri praecipienti, obedientia respicit, ac praesupponit mandatum, indeque eius correlatiuum est usque ad mortem.

Ioan. 14. Ioan. 15.

Ad Philip. 2.

QUESTIO XVI.

Quare dicitur, quod Pater diligit filium non solum quia mortuus est, sed etiam quia gloriose resurrexit?

120.

Vo in limine huius quaestionis notanda sunt. Primum quod ait Christus Dominus Propterea Pater diligit me, quia pono animam meam. Id est, quia vitam meam pro salute ouium mearum in sacrificium offero. Sed cur non ait, Pater diligit me quia per me metipsam vniuersum Orbem condidit? Sed haec omittens tantum ait. Pono animam meam, vt devotaret quod in maiori aestimatione est apud Deum vitam pro aliorum salute diffundere, quam totius orbis opificium, illiusque machinam condere. Rupertus in praesenti. Paterat sic dicere, ait, propterea me diligit Pater, quia per me in principio cuncta fecit, & sine me factum est nihil. Verum hoc loco pastorem legitimum instituire, vel erudire intendit, & illud notum facere, quod lucro animarum charius Deo nihil sit. Hoc igitur opportune secundum rem dicit. Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam: subauditur, pro ouibus meis: videlicet vt sciant Pastores animarum, quanti meriti sit mori pro salute earum.

Plus Deum aestimat salutem animarum, quam creationem orbis. Rupert.

121.

Tolet.

Cum Christus Dominus hic ait. Pono animam meam, vt iterum sumam eam, vt ait Toletus occurrit Dominus cuidam obiectioni, qua fieri poterat: si ponit animam tuam, quomodo poteris adducere oues has, vt vocem tuam audiant, & erit vnus pastor, & ouile, ac si respondeat Christus, ita Pater voluit me pone animam, vt cita eam resurgendo assumerem, & ita mea dicta maxime inter se constat; verum enim, quod ponam animam meam pro ouibus meis: & iterum sumam illam, resurgam, & sic adducam, & congregabo oues meat, & audient vocem meam, & erit vnus ouile, & vnus pastor.

Præoccupatur obiectione.

122.

In nostra tamen quaestione, illud maxime est inquitendum, quod Christus ait: Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Non ait Christus. Ideo me diligit Pater quia in crucis patibulo offero vitam meam pro eius gloria, ac hominum salute, sed quia ita vitam meam in morte pono, vt iterum resurgendo eam assumam, ac si ita mori, vt confestim resurgat, hic ponatur vt placendi patri gratia, ac tanquam illius amorem, ac beneuolentiam sibi conciliandi motiuum. Maxime hic est expendenda Resurrectionis gloria, eximius amor Patris erga filium in eo se insigniter manifestauit, quod filium suum miserit, vt pro nobis traderetur, ac se morti offerret, & quod simul resurrectionis gloriam ei concesserit, tanta enim gloria in ipso triumpho Christo data est, vt paterni amo-

Resurrectio gloria magna.

ris erga ipsum apertum: demonstratiuum signum. Pater diligit, quia ponit animam suam ob eximiam obedientiam erga ipsum. Et Pater diligit filium, cum ei tantam resurrectionis gloriam concesserit.

123.

Datur premium non ob amorem, sed ob meritum.

Secundo. Summe Pater filium diligebat, tamen Resurrectionis gloriam filio non concedit, nisi prius praecurrat mortis meritum. Propterea me diligit Pater, quia pono animam meam, vt iterum assumam eam; nec rem praebet dilecto, quia dilectus ab ipso, sed prius inquitur merita, vt gloriose retributionem largiatur. Ait Regius vates Psalm. 92. num. 5. Parata sedes tua Deus ex tunc, a seculo tu es. Cum Christo Domino esse sermonem communis est Patrum, ac Expositorum sententia, quem Deum appellat vt pote consubstantialium filium Dei secundum Diuinitatem, quam testatur esse ab aeterno vna cum Patre. A seculo tu es; seu, vt legunt D. Hieron. D. Augustin. ab aeterno tu es. Illud tamen ex tunc, seu vt legunt vetus Psalterium, & D. Augustin. ex illo, scilicet tempore; magnam inuoluit difficultatem: ad quidnam referatur illud Ex tunc, seu ex illo tempore. Multi multa dicunt. Mihi tamen dicendum videretur. Quod ex tunc, respicit titulum Psalmi, qui sic inscribitur Laus Cantici David in die ante sabbatum. Hoc est in Parasceue. Ex eo quod ipse feria sexta in die ante sabbatum pro omnium salute in ara crucis est oblatum, ex tunc, ex illo tempore, a Patre parata sedes eius; non praeparatur a Patre sedes illius, quia filius eius erat ab aeterno cum ipso Deus, sed quia qua homo, & vnitus humanitati pro omnium salute vitam dabat. Agellus in Psalmi titulo sic ait. Ipsi Hebraei Christiani nominis hostes, Psalmum ad Christi tempora spectare consueverunt. Quando autem id factum est, nisi pro sabbato, cum in crucem subtratus insignem regium accepit.

Hieron. August.

Non ex amore, sed merito conferunt premium.

Agellus.

Cum Dominus in sua sacratissima Passione astaret coram principe sacerdotum, ait illi. Verum tamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cali. Matth. 26. num. 64. Pro illa particula, amodo, legit Syriacus: ab hoc tempore. Ait Christus, quod ipsum videbunt, quem filium hominis tantum reputant, cum sit verus filius Dei considere ad dexteram Dei Patris omnipotentis; virtutis Dei. Legit Graecus, potentia Dei; sessio autem ad dexteram aequalitatem dignitatis, maiestatis, & gloriae cum Patre dicit; sed a quo tempore haec aequalitas gloriae, & maiestatis in Christo, ab eo nempe momento, quo diuinitas vnita est humanitati, vel quando vt sponsus de thalamo suo processit ex vtero Virginis factus homo; Tamen Pontifici ait Christus: ab hoc tempore videbitis filium hominis; &c. Ab hoc tempore, quando pro nobis patior, quando a vobis condemnor ad mortem, ab hoc inquam tempore mihi parata est sedes a dextris Dei fundata, & stabilita supra virtutem, ac meritum huius meae passionis. D. Paschal. lib. 12. in Matth. In eo, ait, quod dicit sedentem regnantis forma introducit. Acsi dicat supra virtutem fundatum, ac stabilitum. \*\*\*

124.

Matth. 26. Syriacus.

Graecus.

Dignitas sibi data in gloria.

Paschal.